HERACLITVS HVMANAE VITAE MISERIAS LVGENS.

CARMEN

FRANCISCI BATTAGLINI
ARIMINENSIS.



ROMAE, Apud Ludouicum Grignanum. MDCXXIX.

SVPERIORVM PERMISSV.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI FRANCISCO BARBERINO S. R. E. CARD. AMPLISSIMO.

Franciſcus Battaglinus ſal.

AVDISTI nè vnquam, Illuſtriſſime Princeps, arbores debere lacrymis irrigari, vt fructum ferant? Vide ſterile, & infęlix, ingenium, quod ſola lacrymarum cultura floreſcit. Me miſerum, quem Cælum in communibus hominum miſerijs præconem fecit in-

fælicitatis æternæ. Enim verò in poſterum vates dici nolim, niſi à mearum præſagio calamitatum. Ita eſt Illuſtriſſime Princeps. Et ſanè longè etiam miſerior eſſem, niſi quas Tibi offero lacrymas, dicoq. ſperarem pro Tua Benignitate, gemmeas aliquandò tandem meũ reuerſuras in ſinum. Libet exclamare cũ Demoſtene. Nihil habes Princeps, vel fortuna tua maius, quàm vt poſſit, vel natura tua melius, quàm vt velit ſeruare multos. Vale.

CAR-

CARMEN.

QVICVNQVE riſus Orbis incertos, breues
Fouet, doloſo captus, & fragili bono;
Neſcitq. quantum blandiendo vulneret
Comes dolorum riſus; Hoc cernat meo
In fletu, & aries hoſtis infidi videns,
Illas gemendo fallat. Haud enim poteſt
Non flere, qui fallacibus ſyrtes vadis
Videt æſtuantes, naufragæq. credulus
Fælicitati, in damna præcipitat ſua.

Riſus

Riſus, ſed expers, quiſquis æternum gemit,
Semperq. ſub rotato anhelat pondere,
Fortunæ atrocis, impiæ; facili meas
Excipiat aure lacrymas, & hinc graue
Perferre pondus diſcat, aſpiciens, ſua
Quemuis manere damna, nec quemquam fore
Euripides. *Vel eſſe, quem non aliquis attingat dolor.*

IN-

INFANTIA.

VIX hoc in orbe naſcimur, cum lumina
Soluimus in imbres lacrymarum, vt plenior
Sit vnda, quæ nos obſtetrix cura abluit,
Purgatq. dolor, & mæror impatiens ſouet. Cartarius pag. 274.
Nec (dum ſub orbe naſcimur) ſolos Parens
Nos gignit; at nobiſcum, egeſtas pallida
Induta fronte prodit, & gemino ferox
Fortuna vultu, & qui potentium magis
Domare corda gaudet infælix Amor.
Quos homini eodem tempore, atque vtero paris

Hoſtes gemellos, fertilis nimium Parens!
Quale, heu, rotantes funus, in prolem tuam
Iſtos videbis, quandò ab imis finibus
Egreſſa teneræ ætatis, immundam pede
Robuſtiori humum premet, cùm nouerit
Leue eſſe damna ferre; perferre at graue.

Socrates in axioco Plat. *Quis nunc malorum mole ſub quanta gemet*
Natali in ipſo non videt? nimis videt:
Ideòq. vix ingreſſus horrendam, impiam
Scenam futuræ vitæ, amaros illius
Tragicosq. fines, lacrymis pandit ſuis.
Ecce etenim in auras prodijt poſtquam Puer,
Statim miſeriæ nudus in gremium ruit,
Boyſard. in Theatr. vitæ hum. *Cunctisq. longè infirmior animalibus*
Cadit priùs, quàm pugnet, & citiùs malis,
Vt huius Orbis cedat, imbelles manus,

Plan-

Plantaſq. duris cogitur ſub faſcijs
Vinctas tenère, captus, antequam ſciat,
Peccando quid ſit crimen, & quid ſit ſcelus.
Tunc verò quid faciat Puer, crudelibus
In faſcijs detentus, extremam ſibi,
Niſi horam adeſſe vt credat. Ah verum nimis
Hæc hominis eſſe fata, vt ocyus necis
Sit præda, vitæ dona quàm libet, prius,
Quàm lux oborta, luce priuetur ſua.

Idem Heraclitus Thales mil. Saluſt. & Cic.

Intereà vt infans omnibus vacuus malis
Creſcat, pio Nutricis exceptus ſinu,
Lac fletibus mixtum bibit, quin ipſius
Cum lacte Nutricis, refertas noxio
Curas veneno haurit, nec infælix videt,
Sentitq. quid exhauriat, tunc vulnera
Senſurus alta ſæuiùs, quo ſeriùs,
Norit doloſum quale potarit malum.

Cælius Rodighinus.

Sed lacte poſtquam amotus, incerto pede
Signare terram gaudet, haud vllum diem
Sine lapſibus metitur, & tamen ſuam
Sic in ruinam eſt pronus, vt ſæpè audeat
Simulare ſtantis ora, neſcius malè
Tegi patentem ſemper in vultu metum.

Iam verò poſtquam premere tellurem poteſt
Pede firmiori, in quanta continuò mala
Semper miſerior labitur. Diſcrimina
Poſt tanta rectus vix meat, cum noxiæ
Curæ docentis traditur, ſub aſperis
Cuius minis, & verbere, in tanto metu
Fluctuat, vt æui hic actus, intolerabilis
Sit illi amara carceris cuſtodia.

Pueritia raperis auia in centum neces,
Et tamen abeſſe, merſa, queis iaces, mala
Putas, ſimul animorum, & annorum rudis.

IVVENTVS.

SAT damna primæ ætatis, & ſtultos metus.
Nunc te Iuuenta flebo. Tu intereà meæ
Intenta voci, in fonte, quem gemitus parit,
Speculare, quàm ſint mœſta, quæ dulci putas
Perfuſa melle gaudia, & citò tibi
Diſcas mederi. Dulce nam quiſquis malum
Nutriuit imo in pectore; heu ſerò nimis
Durum recuſat ferre, quod ſubijt iugum;
Vt libero tandem gradu infelix Puer
Limen Iuuentæ intrauit, innixus ſua

Biaſ. in lib. de ſentent. ſeptē Græciæ ſapien.

Iam mente, ſeſe credit aduerſos ſuper
Iactus miſeriæ vrgentis, & cælo parem:
Quando ecce ſcelerum in mille, & infames ruit
Syrtes gemendus. Hunc enim pellacibus
Genis Cupido, & dulcibus ligat modis
Mendax libido, donec obſcæna, improba,
Illum pudendo naufragum mergat vado.
Dura heu Iuuentæ initia: ſi tam perfidis
Primùm grauaris ſortibus, quemnam exitum
Miſeranda ſperas? Meme vix cita vices
Tuas pererro, verba cùm rapit dolor,
Animuſq. proferre abnegat, quàm tibi dies
Quæq. obſit. Ecce amoris impuras faces,
Vix inquietus Iuuenis in ima incipit
Nutrire cordis parte, cum ſtatim loco
Stare incitatus neſcit, & iam mobili

Mobilior omni, ad omnia incautus volat,
Reſilitq. ſemper, nullius legis capax.
His verò quanta in poſterùm fallax Amor
Nectit pericla. Umbris Amantem talibus
Excæcat, vt quid ipſe tunc ſit, neſciat
Nec ſcire quærat; obuolutum his nubibus
Poſtquam eſſe eundem ſpectat, arbitrio regit,
Verſatq. diro. Damna quis nunc non videt,
Quæ poſſit ille inferre, qui modo caret, Terentius.
Et lege. Pauper eſt Amor, pallet neci Diotimus in con. Plat.
Similis, humumq. greſſibus nudis premit,
Exhauſtus, horrens, ſine domo, ſine tegmine,
Sub dio ad oſtium cubans, ſemperq. egens.
Hæc ſuſtinere nempè, quos vinclis ligat,
Cogit ſuperbus: Pauperes primùm facit,
Tùm premere nudis greſſibus terram iubet,

Vt

Vt vel doloſo abſconditas cineri faces
Sternant, pericla nec ſat aſpiciant ſua.
Exhaurit, atque tacitus imo in pectore
Serpens, medullas paſcit, & corpus vorat.
Ficini comment. in cōuiuiū Plat. *Et cum ſit Anima mentis humanæ domus,*
Amoris en inſania, hunc ſtatim à domo,
Animæ repellit, inde deiectum videns
In dulce Amati pectore afflictam ſibi
Parare ſedem, ſede præcipitat ſua.
Cubare dein ſub dio, & in via, ad fores
Impellit, vt dum pandit illecebris iter
Aures, & lumina, ſunt fores animi. Ficinus eod. *Aures, per, atque lumina, omni turbine*
Succumbat, atque lucis amittat iubar.
O ſortem Amantium aſperam, ò vitam nece
Omni miſeriorem, benè, & norunt mala
a Seneca. *Tua, qui, ò Amor, dixerè [a] ſollicitudinis*

Te

Te cauſam inertis, [b] *liberiq; ſubdolum* — b Propert.

Animi Tyrannum, [c] *mentis æternum, ac graue* — c Boccacius in labyrinto amoris.

Pondus, [d] *Sophyſtam callidum, lumen fugax,* — d Plato.

Si [e] *nitet, id, in diſcrimen innumeros trahit,* — e Petrar. in ep.

In crimen omnes; [f] *ſi ardet, ignitas faces* — f Xenophon.

Suo ſuperat ardore, cum ignis proximos

Vrat; remotos hoc face abſumat ſua.

At flore primo quiſquis annorum vigens

Fælices procul Amore traducis dies:

A ſtatu Amantium aſpero, diutiùs

Abeſſe diſce. Amoris ingreſſus celer

Tardus regreſſus. Nil Iuuentâ eſt ocyus

Quæ ſi auolauerit ſemel, nunquam redit:

VIRILIS AETAS.

VIRILIS aeui flebiles tandem vices,
Dubioſq. caſus, perſequar. Vos interim,
Quos ſeu benignà fronte, ſeù toruà aſpicit
Fortuna, adeſte. Miſerè qui ſemper gemis,
Solare, nàm fortunæ iniqua vulnera
Qui patitur alto pectore, hoc ſibi comparat,
Boetius de conſ. phil. Benè viuere vt diſcat. Sed illius vices
Qui nunquam es expertus, caue. Infælicior
Seneca in ep. Nam nullus illo eſt, fata quem ſemper beant.
Adulta poſtquam ætate, conſilio regi
Meliori Homo incipit, quibus ſubito minis

Illum

Illum quatit ſortuna, quàm multis premit
Violenta damnis. Monſtra quot Scythia in dies
Pariat, referre promptius, quot proximi,
Marpeſiam in cautem irruant fluctus maris;
Quàm damna, quæ fæcundior ſemper parit
Fortuna, quàm moleſtias, queis percutit
Nunquam quietam mentis humanæ domum!

Fortuna cæca eſt, mobili ſaxo inſidet Cebes Thebanus in tab.
Similis furenti, munus hoc credens ſuum
Huic rapere, quæ tenebat, & rapta alteri
Donare, & iterum auferre, quæ iiſdem dedit,
Inſana, fallax, ſurda, qua malum peius
Mortalibus nullum datum eſt, ſeu rideat, Sophocles in Aiace.
Seu aſper et rigentibus vultum minis.

Hæc, cuncta gaudet regere, nil quamuis regat
Ratione nixa, iudicat, ſed legibus Mænander in Bellorof.

Fundata nullis, euehit, ſed lapſibus
Grauioribus dein vt premat, gaudet coli
Suſpiriorum thure, & vnda flebilis
Oris, Animarum victimis, cordis face.

Cebes Theban. in tab. *Huic, tria recingunt dexterum ſemper latus*
Monſtra Erebi. In vmbris noctis æternæ gemẽs
Audacia, Aſſentatio falſo gerens
Doloſa in ore vincula; & gradiens polo
Aequeua, cuncta negligens; ſuperbia.
Vallant ſiniſtrum quinque. Luctifica manu
Quatiens flagellum pœna, Mæſtitia caput
Ad genua flectens, ſciſſa crudeles comas
Aerumna, Cura inſomnis, & fata irruens
In propria, Deſperatio impatiens ſui.

Quis non trepidet hæc audiens? nemo quidem.
Æſchilus. *Fortuna cunctos læta, ſeu triſtis manet.*

Sed

Sed quid paueſcat ille, quem læta aſpicit
Fortuna? id ipſum, quod timet, qui in vertice
Alto inſidens, quocumque flectit lumina,
Valles minaces cernit, & iam iam videt
Sibi imminentem lapide in auulſo necem.
Fælicitatis ille per varios gradus
Vix alta fortunæ tenet, cum cogitur
Hinc, inde pendentes ruinas, pallida
Spectare fronte, & quod mage tremendum, in iugo
Hoc legere carmen. Neminem eò ferox vehit Seneca in ep.
Fortuna, vt id, quod præbuit, citius quoque
Eripere non minetur. Aſcenſus miſer
Cui tam propè eſt deſcenſus. Aſt detur tamen
Fortuna quem ſemper beet, quem ſedibus
Locet ſuis, quid inde? nonnè hic quoque miſer
Dum cogitat, fælicitatem aliud nihil, Idem in iiſdem.

Quàm rem inquietam ineſſe, quæ ſemper ſibi
Aduerſa, ſeſe exagitat, & ſcelerum parens
Horribilis, hunc ſuperbiæ veneno alens,
Illum iræ, In infandum quemq. perducit ſcelus.
Saluſtius. *Fælicitas miſerabilis, quæ fletibus,*
Non digna plauſu es, dum inſolentes efficis
Amare, quos videris, & tamen necas.
Hæc damna perfert, qui cubat fauſto in ſinu
Fortunæ: At hæc ſi patitur & fælix, mala
Quæ perferet tandem miſer? diſſoluite
Vos lacrymæ nodum, imbre maiori genas
Vultumq. ſpargentes: Miſer vix incipit
Quis eſſe cum ſub mole curarum graui
Continuò anhelans, hac die illacrymat ſibi
Raptos honores, alterà amiſſas opes
Luget, ſequenti germen extinctum gemit,

Semperq. ruit, hæc vna ſit donec ſibi
Vel, cuncta deſperare, præcipua ſalus.
Sed hunc furenti vt traxit in præceps manu
Fortuna, forſan ceſſat, aut demit minas,
Iraſq. componit? Quieſcent fulmina
Ceraunia inter citiùs, & citiùs caput
Cyaneæ acerbum fronde pacata induent,
Quam nos amicæ pacis in gremio ſinat
Gaudere atrox fortuna, quæ dolentium
Si nutriatur fletibus, magis ſitit.
Ergo vbi paratis obrutum hunc videt malis,
Statim ſiniſtro latere, quas ſui impetus
Fecit miniſtras, iterum in illius mala
Inſtimulat, atque illæ impetu accenſa nouo
Scelus exequuntur. Pœna ſæuum dextera
Quatiens flagellum corde ſub triſti furit,

Mæſtitia diris obrutum curis caput
Ad genua torquet; & ferire pertinax
Aerumna, crines vngue crudeli rapit,
Somnumq; turbat Cura, præteritæ memor,
Nec non futuræ cladis, atq; omni carens
Ratione Deſperatio, in proprium caput
Hunc ſtimulat, hoſtemq; impium reddit ſui.
En quò furentis Ira, mortales, rapit
Fortunæ. At hanc ſi premere, qui premitur, cupit
Virtute nixus pugnet, vt dicat fremens,
Tangere ſed hunc rabioſum ego nequij Canem.

Verba Diogenis qui videbatur intueri fortunam hæc ſibi dicentem. refert Stob.

SENECTVS.

ADSIS datura fletibus finem meis,
Senectus adſis. Dumq. languentis mala
Aeui gemo, & minantis ancipites metus,
Laruasq. mortis, omnia gemendi mihi
Offitia linque. Propria qui gemit mala
Seſe eſſe denegat hominem, cui viuere
Non eſt verendum lege, qua natus fuit.
Per dura vitæ ſpatia, perq. deuios
Calles dolorum, nixus, & baculo leui
Homo ad ſenectam vt venit, ecce adſtans caput

Natura ſuper, expoſcit vſuram. Aſtrahit

Huic auris vſum, huic luminis viſum, & malo

Vtroq. multos ſæpè crudelior ferit.

Si verò quem diutius reſiſtere

Spectat paratis ictibus, cruciat, ferit,

Debilitat, angit, torquet, & ſic viribus

Deſtituit, vt viui nihil, ni ſpiritum

Habeat, propinquæ mox vt expendat neci.

Natura ſunt hæc, quæ refers? & dein doles

Petrarca in ep. *Quod in dies minueris, & ſemper magis*

Decreſcas? heu mortalium vita, heu mihi

Alludit ad mortem Patris. *Lacrymanda ſemper, donec abrumpam dies,*

Miſera ſenectus. Sed quid antiquos iuuat

Renouare luctus. Quæq. feſtinant ſuum

Ortum, vndè ducunt, ſeriùs, vel ocyùs,

Terenda cunctis mortis indomitæ via.

O men-

O mentis error. Quiſque ſe validæ necis
Dextra metendum credit, & tamen diem
(Qui forſan eſt hodiernus) haud aliquis timet
Reicitq. longè. Nempè cuius maximè
Præſentiam timemus, eiuſdem magis
Abſentiæ confidimus. Senium ſibi,
Damnat propinquum quiſque, ſed cur heu doles,
Dum te ſenem iam cernis! ad metam diù
Percurris, atque attingere hanc demum ſtupes?
Dein quid diù vixiſſe te miſerum iuuat
Si tandem obibis. Tempus aut longum, aut breue Symonides apud Stob. in conſ. A-poll.
Differre nil videtur, æternum benè
Si ſæculum perpendimus. Nam quid dies
Anniq. mille, & mille, ni punctum breue.

Anceps ſenectæ biuium, in ætatem gradus Seneca in ep.
Si longiorem flectitur, longis patet

 Obie-

Obiecta damnis vita: ſi breuem cupis
Vitam meare; mortis exterritus face
Recedis, interq. necis inſtantis metum,
Vitaeq. damna fluctuans, nec amplius
Viuere libet, nec doctus interea es mori.
Haec ſuper acerbis caſibus hominum gemens
Lacrymis notabam, plura dicturus, dolor
Ni mortui Parentis, ingenium mihi
Vocemque, iam negaret. Intereà pios
Senſus qui habes, o parce, ſi duras vices
Qui ferre docuit, neſcit, heu, ſuas pati.
Loquitur puſillus, maximus ſtupet dolor.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE